



nodi, eademq; celeritas, quæ tria æqualia in distinctas stellas cadere haut possunt.

Jam vero Cometæ, qui eundem cursum, & easdem leges in motu observant, neutiquam sunt novi, sed iidem prorsus denuo recurrentes. Merito itaque eruitur, Cometæ stans temporibus redire.

§. XIII.

Quapropter celeberrimus Angliæ Astronomus Edmundus Hallejus in Astronomiæ Cometicæ synopsis viam non solum aperuit, qua dignosci possit, num Cometa exoriens sit ex illis, qui priori jam tempore adparuerant? sed insuper tabulas confecit, in quibus declaravit, Cometam anni 1531. ab Appiano observatum eundem fuisse cum illo, qui postmodum anno 1607. scilicet visus, & descriptus est a Keplero, & Longomontano, quemq; ipse reversum anno 1682. deprehenderat. Quin etiam audacter juxta theoriam Newtoniam prædixerat, eundem ad annum 1758. denuo esse rediturum, atq; adpariturum. Et hercle suus oraculo respondebat exitus. Promissus enimvero Cometa primum a Palischio die 25. & 26. Decembris anni 1758. fuit detectus, & postea a D. Hoffmanno die 28. Decembris ejusdem anni per tubum astronomicum observatus, ac deniq; a quopiam Astronomiæ cultore die 18. & 19. Januarij anni 1759. in iisdem locis inventus, in quibus juxta theoriam versari deberet. Unde Cometa hisce temporibus adparens ille ipse fuit, quem Hallejus ad moderna tempora præfagijt, uti pereleganter indicat opusculum quodpiam hoc anno Lipsiæ ab Anonymo & jam laudato Astronomiæ cultore in lucem editum. Quod quum evenerit, nullus relinguitur ambigendi locus, quin redire debeant ceteri.

§. XIV.